



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt IV. Angeli cum eo Horas persoluunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

84 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
afflictiones potissimum enituit : tantam  
enim in vltimum vsque mortis punctum  
tenuit , vt si quandoque ( quemadmodum  
Magistro eius accidit ) quis ad eum com-  
monendum accessisset , vt patienter se ha-  
beret, C H R I S T I Sanctorumque exem-  
pla proponens, ægrè quodammodò ferens  
responderet: Ah quid me ad cultum pa-  
tientia cohortamini ! indignum profectò  
est , C H R I S T O sacratum, eiusque sacris  
legibus imbutum, ad hanc virtutem com-  
monitione indigere: nullus certè C H R I-  
S T I seruus ad hanc commonefaciendus;  
ipse per se vt id præstet , curare debet. Ita  
scilicet patiens V V I L H E L M V S hanc nobi-  
lem virtutem sibi propriam fecerat, tan-  
taque consuetudine deuinxerat , vt indi-  
gnum reputaret quemquam Christianum  
hominem ad eam commoneri debere.

#### C A P V T I V.

*Angeli cum eo Horas persoluunt.*

**P**ER singularem & altissimam corporis  
animique integritatem , nec non reli-  
quas perraras ei ætati virtutes , in tantam  
cum Angelicis mentibus familiaritatem  
ac consuetudinem venerat , vt ægritudinis  
suae tempore, cum stas Ecclesie iuxta Or-  
dinis

dinis sui ritum Preces (quas Horas Canonicas appellamus) Domino suo solus psalleret, quod deuotissima semper feruentissimaque mente praestare solebat, Angeli ad eum caelo delapsi alterna<sup>o</sup> cum eo voce eas percurrerent, ac gratissimum chorum constituerent. quod mira ipse simplicitate Magistro suo fassus, dicebat, eos (Angelos intelligebat) ad se venire, Precesque Horarias secum recitare, ac subinde se, subinde verò ipsos citius tardiusque versus absolueret; vt ita alteri alteros, vsque dum & ipsi absoluerint, praestolari necesse habeant.

## C A P V T V.

*Beata Virgo apparet ei.*

**W**ILHELMVS itaque aegritudinis tempore impeditus, quò minus statis Chori psalmodiis, quibus cor eliquari senserat, interesset, ne omni spiritus dulcedine, fructuque (vt sibi videbatur) priuaretur destituereturque, saepius Sacellum dextro Chori lateri iunctum (nunc in campanile mutatum visitur) ingredi, ibique Fratres Psalmos percurrentes alacriter attendere, ipse etiam deuotis precibus aut pijs contemplationibus animum suum pascere, caelumque pulsare studuit. Quadam igitur vice sub